

35.

DECANI FACULTATIS MEDICÆ

GEORGII VVOLFFGANGI  
VVEDELI,

MED. DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI,  
THEORETICES PROFESSORIS ORDINARI, CONSILIARI ET ARCHIATRI  
DUCALIS SAXONICI,  
H. T. ACADEMIÆ RECTORIS

*Propempticum Inaugurale*

De

CORONA CHRISTI SPINEA I.

---

IENÆ,

LITTERIS NISIANIS.



GEORGI V. OLLERANGI

MDCCCXXXIII

RECTORIS

CHRISTOPH. SPINER

MDCCCXXXIII

D





nter reliquos veterum nummo peculiaris  
 inscriptio Augusteis frequens & propria est: OB CI-  
 VES SERVATOS, iuncta corona querna, quam in  
 vno aliquo duo capricorni tenent suppositi, velut basi  
 intermedia locato orbe; altera facie capite Augusti extan-  
 te, cum inscriptione: DIVVS AVGVSTVS PATER.

Quid aliud putemus Senatam indigitare voluisse, cuius auspicio num-  
 mus æneus percussus est, quam hoc omine natum Augustum, capricornus  
 enim in thematis natalitii prima domo horizontem occupauerat, vt ciues  
 toto orbe seruaret.

Longe eminentiori caractere id prædicare possumus de Saluato-  
 re optimo maximo, sub Augusto Pacifico nato, & e cœlis demisso, vt  
 homines seruaret. Ob hos seruatos, cordibus inscribi meretur, in  
 omne æuum deprecandus.

Ciucam hanc coronam vocabant antiquis seculis, eamque ilignam  
 dabant, testem vitæ salutisque perceptæ, cui, a quo quis liberatus fue-  
 rat in prælio. Magis quadrat Imperatori, a quo in plures, si non omnes  
 seruandi illa maiestas & eminentia resultauerat. Sed maxime imo vnice  
 θεανθρωπῶν nostro Saluatori, toti orbi dato, vt salus generis humani esset,  
 & ciues orbis ciues cœli euaderent, alioqui, extra hoc πολίτευμα acquisitum,  
 perituri.

Seruabant miseri illi homunciones alter alterum, vt homo ho-  
 mini sit Deus sæpe, ab hoste defendentes, pugnantes alter pro altero, vt viue-  
 ret, breui nihilominus moriturus. Hic vero non vitam hanc asseruit,  
 & reddidit, caducam illam & miseram, sed veram, eamque æternam,  
 cuius adeundi hæreditate excideramus. Quid? quod morte redemit  
 sua, ne moreremur, morte crucis dirissima.

Si id exprimere velimus ad hunc modulum aliquem, coronam spi-  
 neam concipiamus, diuino sanguine madidam, capiti Saluatoris imposi-  
 tam, cum lemmate: Ob homines seruatos.

Scribitur Socrates apud Aristophanem sub inaugurationem Audito-  
 ribus suis obtulisse coronam; non alienum fuerit sub auspiciis hisce inau-  
 gurandi artis Candidati dignissimi, coronam hanc spineam lustrare.

Qui seculis emphaticum aliquod epitheton apponere allaborant, no-  
 strum hoc, ad finem properans, curiosi nomine insigniuere. Nullibi  
 curiosius possumus inquirere & scrutari, quam in sacris, & ho- n cen-  
 tro,

4.  
tro, in cognitione meriti Saluatoris. Nemo, credo, vitio vertet nobis,  
si spinam inquiramus, qua coronatus fuit.

Στέφανος ἀνάβινος, & ἔξ ἀναβίνων, corona spinea, e spinis dicitur a  
sacris historicis, nominata materia ex qua indefinite, sed in plurali, seu in-  
digna quasi visa, quæ nominaretur, seu potius, quod adeo nota esset, vt eo  
non opus videretur, nemine non vel solo nomine audito rem ipsam intel-  
ligente. An vero ex pluribus, non vna specie, confecta fuerit, vix attinet asse-  
rere, vox enim ἀναβίνων non tam plantas, quam spinas plures exprimit, quas  
attendisse Spiritum Sanctum magis in aprico est.

Sunt quidem vnicuique regno sua spicula, vt hastata falia,  
rigidum & hinc rubefaciens quasi spinis suis alumen plumo-  
sum, seu lapis amianthus; vt vncinæ vngulæ & spinosa rostra  
animalium; attamen propriæ sunt spinæ regno vegetabili. Non  
pauca e plantis spinarum armantur vallo. Quod prætenue in durum  
mucronem occalluit, sic vt vellicet, vel stimulo quodam laceffat, spina  
vocatur, non aliter, quam si cum primum a tangentibus sentiatur, sen-  
tis consuevit nominari; namque multæ partes herbarum arborumque  
durantur in spinas, teste Ruellio l. 1. de nat. stirp. p. 5. c. 2.

Et communes quidem quodammodo spinæ sunt cum plantis, tum  
fruticibus, & ipsis arboribus, differt tamen earundem mechanica, in her-  
bis, earumque foliis, & acuminibus, caulibusque longe delicatioribus &  
flexilibus magis hastulis visendis, rigidioribus & durioribus vero in reliquis,  
vnde & quibusdam peculiare genus, sub titulo spinosarum, constituunt.

Non statuendum facile, coronam hanc spineam ex herbarum classe  
petitam fuisse, seu ex carduorum genere quocunque fertum. Vnus  
quasi huc eo nomine referendus Marcellus, qui sub Theodosio seniori scri-  
psit, l. de medicamentis c. 23. p. m. 120. herba salutaris, inquit, id est, spina  
alba, qua Christus coronatus est, quæ velut vuam habet, lienem leniter  
in eodem loco perfricata sanabit. Dum herbam nominat, vix, vt qui-  
dam volunt, fruticem aliquem, seu rhamnum intellexerit, nisi latius sum-  
ptum vocabulum herbæ putemus, sed vel carduum aliquem, vti carduum  
Mariæ, carduum tomentosum latifolium, aliasque hoc nomine insigniunt  
quoque, vel hippoglossum, seu vuulariam, quæ tamen spinis caret.

Plerique vero alii consentiunt, inferiores esse has spinas herbaceas,  
quam vt in coronæ huius complexum venire queant; ad alia itaque tran-  
seundum seu fruticum, seu arborum genera spinosa. Si vel Theophras-  
tum



5.  
scum audias, πολλὰ δένδρα καὶ τὰν θάμνων ἐστίν, aculeos seu spinas ferentes multa sunt arbores & frutices, quos inter paliurum, rubum, ῥοδάκνιον, seu rosam memorat. Non possumus hinc, quin recenseamus diuersas aliquot autorum opiniones, e quibus difficile fuerit medico, nedum alteri cuidam erudito, vel Theologo eligere quod verum sit, inprimis cum hisce vel nomina sint incognita.

Speciose *Rhauwolffius*, itinerariis sui p. 3. c. 8. p. m. 381. Corona spinea, ait, plexa fuit e spinis Hauségi & Alhauségi Arabibus. Græcis vero & Latinis recepto nomine rhamnus dicitur, isque primus, copiose non solum extra urbem, sed & intra eandem, Hierosolyma putat, crescens, tempore verno ramos vimineos oblongos pluribus aculeis horridos gignens. Ast quis fidem faciet, creuisse rhamnum hunc primum Matthioli, spinis oblongis, flore candicante, & florente vrbe, iisdem locis, cum id minus mereatur, & annon deuastata eadem potius demum cœperit illic extare, quod longe est credibilius. Nec obstat, quod *Anguillara* scribit exerc. 3. de simpl. p. 51. esse velut opinionem vniuersalem, quod species prima rhamni sit species spinæ, quam Romæ spinam sanctam, alibi spinam Christi vocant.

Suam quoque hanc sententiam facit *Petrus Bellonius* l. 2. obs. c. 88. p. 145. diligenter, inquiens, examinatis spinarum generibus, circa Hierosolymitana mœnia, quod certiores fieri cuperemus, e qua spina contexta fuerit corona, Christi capiti imposita; nullo autem frutice spinoso frequentiore inuento ipso rhamno; arbitramur coronam ex eo contextam fuisse; nam neque rubum, aliumue spinosum fruticem istic crescentem inuenimus, præter paucas Cappares spinosas. Confirmat idem Itatorum laudata appellatione, & quod autores Arabes fruticem, e quo contexta fuit Christi corona, Alhauségi appellent, quod vocabulum Latini interpretes coronam spineam verterunt. Intelligit sine dubio Bellunensis interpretationem vocabulorum Arabicorum in calce operum Ebnsinæ.

Tacemus, alios esse, qui speciem alteram rhamni hoc nomine dignantur, nominatim *Fabius Columna* de minus cognit. stirp. part. 1. c. 10. p. 38. spinam sanctam hinc dici asserens. Sed hæc quidem apud nos ignota magis, vt & *Vzeg Alpini*, spinis apprime aculeatum, ab eodem accurate depictum; neque rhamnus sepium nostras, quem spinam albam & vulgus vocat, ad differentiam acatiæ nostratis, quam spinam nigram dicunt, hunc censum ornauerit, cuius rami flexiles recentes minus spinosi deprehenduntur.

Sed porro hoc sibi vendicat tamen spinis paliurus acutis, rhamnus folio subrotundo, fructu compresso Bauhini, floribus luteis, rhamnum tertium Dioscoridis & Dodonæi vocant, siquidem illum in nostris hortis spinæ Christi nomine insignitum nouimus. Vid. *Elsholz. Horticult. l. 4. c. 7. p. 234.*

*Casalpinus* vero spinam Christi vulgo appellari refert *l. 3. de plant. c. 37. p. 117.* fruticem in totum spinosum, quem genista - spartium, seu genistam spinosam maiorem vocat, ob flores luteos genistæ similes; sed citra rationes quasdam allatas, quæ id persuadeant. Salthim eo ipso efficitur, non adeo per omnia receptam esse priorem sententiam, quia inuenerit dissentientes, vel aliter res habere queat.

Alii denique ex arborum genere arcessere malunt hanc spinam. Verisimilius est, inquit *Bodæus comm. in Theoph. Hist. pl. l. 3. c. 17. p. 258.* Spinam Seruatoris nostri Christi ex acacia fuisse, arbore Iudææ familiari, quæ ἀνάδην καὶ ἰξοχὴν veteribus dicta fuit. Ita vero, vt & spina Ægyptia, audit etiam apud *Hippocratem* & alios, & apud nos quoque hanc arborem in hortis videas.

Non euagabimur hic latius, nec laudabimus oxyacantham, quam berberes vocant, quod nomen & rhamno Germanico nostro sunt qui tribuunt, nec rubum vulgarem, nec vuam crispam, nec acaciam nostratam, aliaque huc quadrare. Sufficit, nec ad arborem spinosam aliquam, quarum plures sunt quoque, referri hanc gloriam posse; sed ex fruticibus adscribendum aliquem.

Ast dicat aliquis, quid opus est hæc inquirere tam operose, satis est nosse rem ipsam, & quod Saluatorem O. M. pungentem caput & cerebrum gestare coronam coegit amor, coegit vulnera tanta pati?

Dixerim potius, perutile esse id scrutinium, isthoc enim obiecto obuio perpetua rei affricatur memoria, augetur deuotio visis spinis, quibus emicuit diuinus sanguis, inuitatur animus ad gratias agendas, ad suspiria, ad exosculandam ineffabilem illam gratiam, ad pensitandos cruciatus, ad exaggeranda merita patientis Regis. Quæ enim oculis usurpamus, intimius afficiunt, quam sola mente concepta, nec satis exhausta, & quis exhaurire queat abyssum illam diuinæ misericordiæ, amoris, gratiæque?

Sed abrumpendum hic est filum, proxime prosequendum. Præfari hæc volumus, occasione Dissertationis Inauguralis de FEBRI EPHEMERA Clarissimi Medicinæ Doctorandi

FRIDE-

7.  
FRIDERICI Liefmann /

CASSOVIENSIS HUNGARI.

Editus est hanc in lucem, in Metropoli superioris Hungariæ, CASSO-  
VIA, die XXIII. Mensis Julii, Anno M DC LXX. Parente Plurimum  
Reuerendo & Amplissimo, M. MICHAELE LIEFMANNO, tunc  
temporis Ecclesiæ Cassouiensis Cathedralis Antistite primario, & VI. Re-  
giarum liberarum & Ciuitatum Superintendente, nunc vero post Refor-  
mationem Ecclesiarum Augustanæ Confessionis, & Exilium, Ecclesiæ Eu-  
angelicæ Budissæ, in superiori Lusatia, Pastore Primario; matre vero *ῥῶν ἐν*  
*ἀγίοις*, EVA MARIANA, nata KEILIA.

Patria sua vix vsus, quarto statim anno, vna cum Parentibus, hinc  
inde locorum iactatus, a prima pueritia informatione paterna vsus,  
positis in pietate ac Latinæ Linguae rudimentis, in publica Schola Sena-  
toria Budisinenfi per VIII. integros annos fide ac sedula Præceptorum cla-  
rissimorum cura literis innutritus adoleuit, quorum omnium industriam  
perpetua pietate se agnitorum profitetur.

Deprædicat hoc nomine M. IOHANNIS ROSENBERGII,  
Rectoris Scholæ laudatæ & de re literaria meritissimi, Amici & Compa-  
tris nostri colendi, in Logicis, Physicis, Metaphysicis, Astronomicis,  
Geographicis fidelissimam informationem, vt & CASPARIS IENT-  
SCHII, Sub-Rectoris, cæterorumque Præceptorum B. CHRISTIA-  
NI, B. HOLZHAMMERI, M. GRÜN WALDI, Conrecto-  
ris, GVMPRECHTI, M. WAGNERI. Horum enim assiduita-  
te ad altiora indies perductus, iactis solidis in humaniori literaturâ fun-  
damentis, habitis orationibus de Homine & Corde specimen profectuum  
edidit.

Hinc suasu Præceptorum Parentisque iassu ad studium medicum se  
applicans nostram hanc Salanam adiit die XXVIII. Mens. April. Anno M  
DC XCII. ibidem in sophico & medico studio celeberrimos & excellen-  
tissimos viros sectatus, Inter illos dilaudat ERHARDVM WEI-  
GELIVM, in collegiis curiosis, CASPARF POSNERVM,  
in naturali scientia & monstrorum locustarumque doctrina, IOHAN-  
NEM ANDREAM SCHMIDIVM, nunc SS. Theol. D. & Pro-  
fess. Antiquitatum Sacrarum in Alma Iulia, in prælectionibus Logicis &  
Metaphysicis, IOH. PAVLYM HEBENSTREITIVM, in  
Lo.


8.  
Logicis, GEORG. ALB. HAMBERGERVM, in Mathesi & Physicis, & IOH. IACOBVM MULLERVM, in exercitio disputatorio.

Inter hos veneratur D. RVDOLFVM WILHELMVM CRAVSIVM, Facultatis nostræ Seniore, ex cuius eruditissimis discipulis, priuatos inter parietes habitis, se semper doctiorem abiisse ingenue confitetur. Audiuit sedulo D. GVNTHERVM CHRISTOPHORVM SCHELHAMMERVM, hodie Profess. Kiloniensem & Archiatrum Gottorpiensem, siue in horto Medico, & syluis, montibus pratisque vicinis Floræ thesauros demonstrantem, siue in Anatomico theatro priuatim & publice cadauera humana & brutorum dexterrime profecantem, vt & in prælectionibus publicis Osteologicis, notitia, vsu & natura cartilaginum, simulque Musculorum doctrinam accurate pertractantem.

Non minus secutus est D. IOHANNEM HADRIANVM SLEVOGTIVM, non solum in sequioris sexus, intimiora microcosmi penetrantia scrutando, sectione publica, sed & priuatim in curiosa cadaverum & rei herbariæ lustratione, prælectionibus chirurgicis, & Disputatorio Exercitio, Physiologico, haud exiguum inde adeptus vsu. Ipsum quoque memorat gratus B. D. IACOBVM WOLFFIVM, tum Institutiones medicas & morborum infantum & grauidarum curationes explicantem, tum domi forisque Floræ pignora contemplantem. Cumque ipsi in testimonium vocemur, in singulis fere artis partibus, quæ Theoriam & Praxin concernunt, variis exercitamentis interfuit, & vndique industriam, modestiam, pietatem, virtutes genuinæ eruditionis pararias cordi habuit.

Hinc sufficienter scientia artis tinctus, nuper iussu venerandi Parentis nomen inter Candidatos profesus, αξιων se probavit, idem facturus in panegyri publica, habenda volente Deo, ad D. XXVI. Aug. laudata Disputatione. Hunc actum vt gratiosa & beneuola sua præsentia coonestare dignentur Academiae Proceres, & honoratissimi omnium ordinum Fautores & Amici, perofficose & humaniter inuito. P. P. Ienæ, sub Sigillo Facultatis D. XXVI. Augusti M DC XCVI.

(L.S.)





00 A 6469 (1)

ULB Halle 3  
002 937 28X




TA-70L

R

WDA







35.

DECANI FACULTATIS MEDICÆ

GEORGII VVOLFFGANGI  
VVEDELII,

MED. DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI,  
THEORETICES PROFESSORIS ORDINARII, CONSILIARII ET ARCHIATRI  
DVCALIS SAXONICI,  
H. T. ACADEMIÆ RECTORIS

*Propempticum Inaugurale*

De

CORONA CHRISTI SPINEA I.

IENÆ,

LITTERIS NISIANIS.



X  
extract  
& a ch  
X  
pericu  
X  
i non  
eus pro  
XI  
us ma  
aliqua  
XI  
o matre  
n diu su  
X  
matre n  
ione lib  
XV  
ui gra  
lect  
DEC

